



Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani

Henrici Nicolai.

1. Disputatio de Potentia in rebus.
2. Disp. de Synonymo et Paronymo.
3. Gymnasium Logicum.
4. Tractatus de Pace edit. 1641.
5. Genethlia sive Natalitia ed. 1642.
6. Delineatio Colloquii inter Valerianum Magnum, Capucinum
   et Henricum Nicolai.
7. Erklärung der Worte Ephes. IV. 4. secunda editio.
8. Anatome Papismi inprimis Jesuitici.
9. Nathanael Dilgers Predigt bey der Leichbegängniß Henrici
Nicolai gehalten.

D. O. M. A.

De

SYNONYMO

atque

PARONYMO

EXERCITATIO PHILOSOPHICO-THEOLOGICA.

FAVENTE SUPREMO NUMINE
Publicæ Disputationis loco
in almo
Gymnasio Gedanensi
PROPOSITA

PRÆSIDE
HENRICO NICOLAI PHILOsophiæ Magistro & Professore
Ordinario
RESPONDENTIS VICES
sustinente
BARTHOLOMÆO HILLIO
Colbergense Pomerano

Ad diem 28. Augusti in Auditorio Majori,
horis à septima matutinis.

DANTISCI,
Litteris GeorgI Rhetii Gym: Typographi.
ANNO M. DC. XXXII.

MAGNIFICIS, AMPLISSIMIS,
Nobilissimis atq; Consultissimis
VIRIS
DN. VALENTINO à BODECK
Incl. Reip. Dant. Proconsuli ac Præsidi
Vigilantissimo.
DN. MICHAELI WIEDERO
Senatori gravissimo.
DN. ARNOLDO DILGERO
DN. JOHANNI ROSSOVIO
Scabinis spectatissimis.

UT ET
NOBILISSIMIS AC FLORENTISSIMIS
Viris-Juvenibus
DN. CONSTANTINO von HOLTEN
DN. JACOBO HILDEBRANDT
Patriciis Dantiscanis.

Dominis Mecœnatibus, Fautoribus ac Promotoribus suis debita animi observantia honorandis

D. ac D.

Bartholomæus Hillius junior
Colberg. Pom.

THESIS I.

VT duarum alarum beneficio *Aquila* se in aêrem eximio volatu nubium tenus altissimè sublimat, euecta alis totum illud spatium, quà pluitur & ningitur, in ipso quasi ætheris solo & hyemis fastigio subsidit, inde cuncta despiciens ibidem pinnarum eminus indefessa remigia, ac paulisper contabundo volatu pene eodem loco pendula circum-tuetur, & prouisa simul campis pecua, simul montibus feras, simul homines urbibus uno obtutu subodem impetu cernit, ut sunt verba *Apuleij in l. 1. floridor:* Sic habituum instrumentalium aquila *Logica* beneficio *Synonymi & paronym* quasi alarum remigio se in universum sciendorum orbem attollit, omnemq; creatorum increatorumq; seriem peruagata in ipsa quasi *abstracta rerum idea subsidit*, quam sub uno impetu actutū intvita, universam ita notionibus suis admolitur, ut simul propositionibus conjuncta, simul terminis affirmatis combinanda Omnia, *vel synonymi vel paronymi vicem ad se obtinere generaliter asseveret.*

2. Eam synonymi & paronymi doctrinam ad collationem propositüri partimur illam in protheorian & theorian.

3. Protheoria explicabit tria, *existentiam rei, Vsum, & sedem.*

4. 1. Existentia synonymi & Paronymi Logici probatur ex facili genuinorum Logicorum Omnium consensu. Etsi enim *Ramus* hæc figmenta putet *Aristoteleicerebri* in Logicis, ad Grammatica amandanda: Paucos tamen ea calumnia adstipulatores habet, admiratorem certè neminem. Quare nec est, ut si *rancidulum*

dulũ quic quam balbâ de nare locutus quis sit, in eo refellendo curatius occupemur.

5. 2. Vſus *ſynonymi & paronymi* multiplex eſt 1. in contexendis propoſitionibus affirmativis, quarum illi termini generaliſſima ſunt fundamenta. 2. in distinguendis ijsdem. 3. in connexione ſubjectorum & prædicatorum oſtendenda, adeoq; diverſitate materierum in prædicationibus monſtranda. 4. in neceſſitate & Contingentia propoſitionum explicanda. 5. in ſobrie & accurate explicandis propoſitionib. de rebus divinis, ut DEUS eſt Spiritus, infinitus, Homo (in Chriſto) eſt Deus & contra: Panis benedictus in S. Domini Coena eſt Corpus Dominicum &c. ut progreſſus monſtrabit.

6. 7. *Sedes* doctrinæ hujus ubinam ſtatui debeat, duplex quæſitum eſt. 1. An in Logicis? *Ramus* Grammaticam eſſe vult. *Vid. Cl. 1. Mart. C. 2. qu. ill. d. 3. q. 2.* Falſò. Luculentum enim diſcrimen utriuſq; tractationis eſt. 1. In Logicis *Syn. & par.* tractantur ut organa ratiocinandi, in Grammaticis ut organa ſermocinandi: Ibi ut ad diſcurſum applicanda, hic ut ad puram Orationem conformanda. At formalis conſiderandi ratio in diſciplinis materias diſtinguit. 2. *Logicus* Synonyma dicit, quæ *Grammaticus* non, ut 1. quæ uno eſſentiali conceptu gaudent, ut homo, aſinus leo, ſunt ſynonyma, quia ſub uno genere, animali, conveniunt. At inſanus ſit Grammaticus, qui hæc dicat Synonyma: 2. quorum unum eſt de eſſentia conſtitutiva alterius, ut homo, animal, rationale corpus miſtum, animatum, ſubſtantia: At Grammatico nunquam hæc Synonyma: Grammaticus eandem vocum ſignificationem, Logicus eandem eſſentialem connexionem terminorum intuetur. Con-

tra

trà *Grammaticus quædam dicit Synonyma quæ* Logicus nequaquam, sed eadem, ut terra, tellus, & humus; gladius & ensis. 3. *Logicus* Paronyma dicit *quædam*, quæ Grammaticus non, ut somnus & dormiens: & contrà *quædam Grammaticus*, quæ Logicus non, ut scribo, scriptio: justus, justitia, officere & officiosus: At Logicus hæc invertit, & scribere â scriptione, justum â justitia derivat, *tertium planè negat paronymum esse ob contrarietatem significatorum*. Nimirum *Grammaticus in sua derivatione id quod paucis syllabis constat, pro simplici assumit, Logicus abstractam significationem vocis simplicis attendit*, â qua derivat concretam, quicquid de numero apicum sit & syllabarum. Ex his discrimen Syn: & paro: Grammatici & Logici enitescit.

7. Alterum quæsitum est, *si Logica hæc doctrina, ubinam in Logicis tractanda?* R. Commodissime in parte primâ: Præbet n. fundamentum & materiam remotam, potẽtialem ad propositionem, non proximã & actualem, ut nomen & verbum (quod contrà *Regij l. 2. Log. q: 1. §. 1. & 3. & l. 3. q: 5. §. 1. Scheibleri de pro c: 1. n. 28. sententiam* notandum) subjectum & prædicatum, quibus vde in libris de interpretatiõe agit Aristoteles. Discrimẽ autẽ nominis & verbi â subjecto & prædicato, idq; triplex, imo quadruplex, ex ipso Aristotele ejusq; interpre tibus aliàs monstrabimus.

8. Fuit pro-*theoria*: Sequitur *theoria*; quæ duo exhibebit, *Onomatologian & pragmatologian*.

9. *Onomatologia* seu doctrina nominis tria exhibebit, *homonymian, etymologian & synonymian*. Qvidam addunt quartum, *antinomian*, s. contrariam significationem. Sed vea ad alius vocis tractationem spectat propriè, non hujus.

10. 1. *Quà homonymian:* Synonymum variè su-

 mitur.

mitur. 1. *pro omni* essentiali latiori. Sic ens synonymum substantiæ dicitur, spiritus dei. Et sic hic sumitur 2. *pro* essentiali rei prædicamẽtalis, huc tria ex prædicabilibus pertinent, genus, sp. & diff. 3. *pro* æquipollente Grammatico, sic gladius & ensis synonyma dicuntur. Paronymum similiter sumitur 1. *pro omni* extra essentiali, sive res sit prædicamentalis sive extraprædicamẽtalis. Sic justitia paronymos de DEO dicitur, eruditio de homine, Sic universale vel particulare esse paronymicè de propositione dicitur, & sic hic sumitur 2. *pro* eo quod contingenter ei in est, sive sit substantia sive accidens, sic vestis παρωνύμως de homiñ dicitur. 3. *pro* extraessentiali rei prædicamentalis, huc proprium & accidens pertinent. 4. *pro* quocunq; derivato Grammatico, Sic scriptio à scribo denominatur, justitia à justo &c.

11. 2. *Qua Etymologian.* Synonyma à συν & ὄνομα dicuntur quasi dicas, *cognomina*, Logice sunt ea quæ eodem conceptu essentiali gaudent, seu ubi unus terminus est de essenti â alterius: Paronyma à παρὰ & ὄνομα, q. dicas, *agnomina:* Logice sunt ea, quæ ab alio nomine Logicè derivantur, sive *Grammatice sit nomen idem, ut justitia,* justus, *sive diversum,* ut somnus, & dormiens. 3. *Quà Synonymian.* Synonymum dicitur *essentiale, constitutiuum, abstractum, univocum* quanquam hic ultimus terminus verè æquipollens non est, datur n. & *analogum,* quod Synonymum est, sed non univocum. *V. Cl. J: Mart. l. 1. Inst. Log. c. 2. l. 2. c. 1. Scharf. l. 1. Log. tr. 1. c. 2. Weger. f. 2. Log. c. 3. Paronymum* extraessentiale, accidentale, denominatiuum, derivatiuum, Logice scilicet non Grammatice, *V. t. 6.*

12. *Pragmatologia tria* similiter expediat, definitionem, divisionem, & affectionem.

13. Definitiones hæ sunto. *1. Synonymum* est terminus Logicus de essentiâ subjecti constitutivâ Logicè prædicabilis. *Paronymum* extra essentiæ constitutionem & sic denominativè prædicabilis.

14. Ad utriusq; definitionem intelligendam sequentia notanda. 1. dicuntur *termini Logici* hoc est, notiones secūdæ Logicæ & instrumēta bonæ & judiciosæ ratiocinationis. 2. dicuntur *prædicabiles*. Logice prædicari (ut Synonymum & paronymum) est ut *veram affirmatam & communem naturam* de aliquo enunciari. 1. dicitur *vera* ut excludatur falsa, impossibilis, æquivoca, ficta, nominalis prædicatio. Vt, homo est Petrus id est, habet nomen Petri. In notionibus secundis vera Synonymia & paronymia locum habet, tribuitur *n. illis quod reuera, id est nō ficte, non falsò, non nominaliter saltem* ipsis competit, & si alioquin Ens rationis tantū sit, ut genus est prædicabile, Propositio est dispositio, &c. veritas hic veritatē tantū prædicationis & competentiæ, nō Entis realis præcisè requirit. 2. *Affirmata*, ut excludantur negationes, quæ huc non pertinent; De infinitis quæri hic solet, quorsum pertineant? Dico πρώτως nec Synonymas nec paronymas esse, quia non dicunt essentiam: posse tamen referri ad paronymas, quia terminus infinitus non dicit aliquid *quod essensentiam constituat sed* quod ex eâ constituta consequitur. Sic homo est non asinus, τὸ non asinus non dicit quid homo sit, sed infinite affirmat, posito eo, hominem esse animal rationale, seqvi ex eo, esse non asinum. Aliĳ aliter sentiunt. *Scarfius* negantes esse vult, *Log. p.334.* sed hoc universale non esse ipse videt *p.319. & p.331.* Et in modalibus est manifestum, per eundem *p.376. Scheiblerus* interdum generis de speciе esse ait, *de prop. c. 2. t. 18.* At ipse diversitatem agnoscit,

quia

quia nulla essentia hic prædicatur, ut in genere, sed essentiæ negatio. *3. Communis natura*, quæ pluribus communicetur *vel quàrem velquà rationem*, ut excludantur Singularia singulariter sumpta: Secus singularia quàrem, *ut communia quà nostram rationem sumpta*, quatenus ipsis non repugnat esse in pluribus, communiter prædicantur. Huc sol-Luna, Venus &c. pertinent. *V. Schei. c.3. in. Lo. n. 24.*

15. *3. Synonymum dicitur de essentiâ subjecti prædicari*, ut Synonymum Logicè concipias ut aliquid prius hoc est, amplius, superius, quod largiatur essentiã subjecto, ita ut subjectũ Logicè ne cogitare quidẽ possis, cogitabis quidẽ, non quin cogites Synonymũ ejus. Sic hominẽ ne cogitato animali, Deum nõ cogitato Ente.

16. *4. Synonymum de constitvente essentiâ prædicatur*, hoc est ut acsi essentiam largiatur subjecto, in conceptu Logico cogitetur. Dicitur *1. Constitvente*; ut excludantur ea prædicata, quæ sunt de essentiâ rei, *sed consequenter*, ut omnia propria, ut esse docilem, rugibilem respectu hominis, leonis &c. Hæc sequuntur suas essentias, ideò n. homo est docilis, leo rugibilis, quia homo, leo est, non ideò homo a. leo, quia docilis, rugibilis est. Illud est causa hujus, non hoc istius. Dicitur *2. in ConceptuLogico*, i.e. quando in definitione rei aliquid ut genus, vel differentia sumitur, tum ut Synonymum sumitur, & si alias *in re & Physice vera differentia non sit.* sic ꝧ rugibile *Physicè & quà rem est* proprium leonis per ante dicta, *Logicè & quà rationem* sumitur loco differentiæ, quia vera leonis forma substantialis, quæ vera ejus differentia, nobis est incognita, sicut in plurib. formis substantialibus. *Vide Scalig. ex 307. s. 12. & 21. ex 101. s. 14.* Et ita *in conceptu Logico* sumitur ut Synonymum, & si Physicè sit paronymum.

In

In *sola specie hum-ana formam substantialem cognitam habemus à priori, in reliquis à posteriori.* Nec absonum est *Physicè paronymum Logicè posse esse Synonymum. Vid. Scharf. l. 1. Log. tr. 2. c. 5.* Vt nec absurdum est, *Physicè concretum posse esse Logicè abstractum, ut homo & animal, album & coloratum. V. Cl: J. Ma. l. 2. inst. Log. c. 1. & d. 2. de pers. th. 52. 79. 80. 133.*

17. 5. *Paronymum extra essentiam constituentem prædicatur,* i. e. in *conceptu Logico* ita concipitur, ut non dicat aliquidquod essentiam subjecto largiatur, illudve constituat, sed quod essentiam, jam constitutam cõsequatur: *Sive necessariò sequatur, sive contingenter,* Logico ἐν χοινῶς dicitur prædicari, quia essentiã non constituit, & si Physicè necessariò sequatur, ut homo est docilis, risibilis: *sive termino adjectivo prædicetur,* ut homo albus est, *sive substantivo,* ut hircus est ceruus in hircocervo: homo est pater: Nam alioquin differentia adjectivè prædicatur, ut homo est rationalis, at Synonyma est, ut bene advertit *Cl. Graver. c. 1. abs. t. 10. & con. Pareu. q. 2. §. 25. q. 3. §. 29.* (*Ineptè huc doctrina Grammatica adjectivi & substantivi adducitur ut Synonymũ substantiuum, Paronymum ad-jectivum sit; Nisi inter subst. & adiect. Grammaticum & logicum distinguas,* & *paronymum semper adjectivè prædicari dicas, sed Logicè, non Grammaticè,* cum *Goclenio p. 2. pro. Log. q. 2.*) *sive* denominans sit-quid *internum,* ut homo est risibilis, *sive externum,* ut homo est vestitus: *sive reale,* ut paries est albus, *sive intentionale,* ut paries est visus, sonus est auditus, *sive* differat à denominato terminatione Grammatica, ut justitia, justus, *sive non,* ut Musica, sc. scientia, & Musica sc. mulier. Logicus hæc parum curat, dummodo *terminatione Logica, i. e. traductione, derivatione, significatione & cadentia vocis Logica ad*

subjectum

subjectum differat. Sic vestitus, i. e. vestis & vestitus, i. e. veste indutus, differunt. Miror hic *Mendozam*, *d.9.s.2.* insultantem summo *Philosopho*, quod denominatiua *Casu* differre dixerit. Nam album & albedo, ait ille, differunt realiter, E. plusquam casu, E. plusquam nomine. At Logica hæc sunt, *Mendoza*, Logice ergò explicanda. *Casus hic est Logicus*, i. e. *Diversa ab abstracta voce quadam significati traductio*, (diversa dico, non adversa, sic officiū & officere nō sunt paronyma, vid. th. 6.) *non Grammaticus i. e.* diversa ab eadem voce præcisè terminatio. Dico præcise, *i. e. semper:* nam alioquin sæpè & hæc est. Sic justus, justitia. *Vid. dn. Weger. s.2. Log: c.5.p.207.* Confer eundem c. 3.

18. Fuit *definitio*. Sequitur *divisio*. Varia hæc apud authores. Dicuntur *Synonyma & Paronyma alia* quoad rem *alia* quoad modum, *alia* quoad rem & modum simul: *alia* univoca *alia* analoga: Paronyma *alia* voce tantum, *alia* re tantum *alia* voce & re simul de quib. videatur *citatus author*. Mihi hac vice una divisio sufficiat *in Syn. & par. prædicamentale & extra prædicamentale*.

19. *Prædicamentale* est quod est in rebus prædicamentalib. Huc quinq; decantata illa *prædicabilia* pertinent. *Extraprædicamentale est*, quod in re extra p̄dicamentum constituta reperitur. Hoc *triplex* ajo, *transcendentale, perfectionale & infraprædicamentale, seu analogicum*. Quæ divisio ex *triplicitate materiæ* est in qua Synonymi & paronymi rationem invenire licet, cum ipsa materia prædicamentis includi nequeat. *Vel n. res est supra vel infraprædicamenta. Supra* dupliciter: *Vel Entis Communitate*, Huc termini Metaphysici generalissimi pertinent ut Ens, unum, bonum, principium, Causa, Necessarium, Contingens, idem, diversum, &c.

&c. *vel Entis nobilitate*, ut DEUS, attributa divina, actiones divinæ, persona Chri, incarnatio, mysteria Christianæ fidei: *Infra prædicamenta sunt*, quæ sunt entia per analogiam, ut privationes, Entia rationis, notiones secundæ, In his synonym. & paron. analogicum obtinet.

20. De *transcendentali* synonymo duo quæruntur. *1. Ens an ullius rei genus esse possit?* Vulgo genus analogum substantiæ & accidentis dici solet, ut authores *magno numero* loquuntur, ut mirer, insulsè hoc negari. Dico, genus dici dupliciter; 1 *Omne id quod est latius altero. V. Scheibl. intr. Log. c. 3. n. 5.* Sed hæc significatio est admodum æquivoca. 2. id quod de specie differentib. in compositione prædicamentali prædicatur. Priori modo *Ens genus* dici post *sed æquivocum*, i.e. *obtinet nomen generis, non rem:* posteriori nullius rei genus esse potest. 1. *ob transcensionem.* Omne genus sumitur ex prædicamentis. Hæc n. ob id classes dicuntur generum & specierum. At ens in nullo prædicamento, Nam vagatur per omnia. Deinde prædicamenta dicuntur 10. summa genera. At non essent, si supra se Ens ut genus haberent. 2. *ob negatam Compositionem.* O. genus compositionem Logicam i.e. ex genere & differentia, infert. idq; vel dando-eam alij, ut substantia inferioribus suis, vel participando á superioribus, ut animal. &c. At ens nullam. Prædicatur n. & de deo, & de simplicissimis conceptibus Metaphysicis, ut causa, causato, eodē diverso; necessario, contingente, quæ compositionem Logicam non admittunt, 3. *Ob negatam generis prædicationem*, quæ duplex, 1. Genus *de specie differentibus* prædicatur. At substantia & accidens non specie differunt, sed sunt primò diversa, ut alibi probatur. *Vid. Cl. J. Mart. l. 2.*

part. s. 2. q 4. Scheibl. c. 2. Int. Log. c. 2. n. 51. & l. 1. Met. c. 2. n. 41. & l. 2. c. 1. §. 6. 7. 2. Nullum genus de specie *& differentijs speciei abstractè sumptis* prædicatur per *Arist. 6. Top. c. 6. Porphyr. isa. c. 7. V. Scheib. Top. c. 28. n. 114.* sic non dices, Rationalitas est animal. At Ens de omnibus rebus & differentijs etiam *abstractè* sumptis prædicatur, sic, rationalitas est Ens. Ergo. *Conf. Sch. de Phil: n. 59. 60, de na. Lo. c: 3. n. 8. 9.*

21. II. Quæritur hic: *Ens de DEO & creaturis enunciatum an synonymum sit?* Ita est: Sumitur n. ut terminus essentialiter de utroq; prædicabilis. Atq; ita Ens *Logice* concipitur ut prius, i. e. amplius, generalius DEO, cum & alijs præter deum competat: *Physicè aut Metaphysicè* simpliciter nihil DEO prius aut superius cōgitari potest, sic n. ipse Ens est simpliciter primum & summum. Logice bene, e. i. amplius, generalius, sic n. Logicus τὸ prius usurpat. Neq; etiam hæc sunt ἀσύςατα: *Fundantur enim in diversis considerandi modis in disciplinis usitatis: Logicus* Deum considerat ut Ens λεγόμενον, itaq; notiones quasdam prædicandi ei attribuere potest, sic subjectum a. prædicatum propositionis constituit: *Metaphysicus* ut Ens reale, ideo nil prius aut superius DEO tribuere potest, cum reipsâ aliquid ipso prius non sit. Neq; hinc ens perfectius Deo statvitur. Manet DEus ens perfectissimum *intensivè*, i. e. perfectissimam bonitatem in se continens: & si ens perfectius dici possit *extensive*, i. e. ad plura bona, v. g. creata & increata, se extendat, eaq; sub se compræhendat. V. *Bellar. l. 2. d. Conc. c. 19.* Quanquam & creatorum perfectiones DEus eminenter in se continet, ut alibi disputatur. *V. Valent. T. 1. d. 1. q. 4. p. 1.*

22. Si Ens Synoymnm DEI & creatorum est, quæri-

quæritur *quale sit?* Si *ens genus* ad DEum & creata dicas, æquivocum genus est per th. 20. si *Synonymum*, analogum. Non enim *univocum*, nam hoc ex æquo participatur ab inferioribus, sic animal ex æquo ab homine & leone: At ens per prius, nobilius, de Deo, per posterius, ignobilius de homine dicitur, adeò ut *respectu hujus* analogicæ attributionis *Ens sub prorsus alia significatione de deo* dici quam *creaturis, dicere possis cum magni nominis quodam Theologo, D. J. F. f. 3. d: 4. cor. 5.* unde tamen cave sis æquivocam prædicationem elicias, non enim hæc de DEO aut creatis locum habet, cum quod sic dicitur, *verè non dicitur,* ita Canis pictus non dicitur vere canis, At Deus & creatura verè ens dicitur, Ens enim significat id quod est; Non ergo hic est *æquivocum*. Restat ergo *analogum* dicamus, quod est id, quod de uno per prius & nobiliori modo, de altero per posterius & ignobiliori modo dicitur, *manendo in ipso Synonymico conceptu, non ad differentias descendendo. V. Schei. Top. c. 28. n. 91. Cl. J. M. l. 1. ex. 3. th. 2. l 2. part. s. 1. q. 3.*

23. De Synon. & Paron. *perfectionali* duo quærenda. I. *Spiritus de DEO prædicatus an ut genus enuncietur?* Ajunt non nulli, quasi genus & quasi speciem Deo tribuentes. Rectius negatur. Vbicunque genus aut species, vel quasi genus aut quasi species, ibi compositio Logica, vel *quasi comp. Logica*. At hæc â DEO ut ente simplicissimo, simpliciter removeri debet. *DEVS nec Logicè, nec Physice, nec Metaphysice est compositus, nec quasi compositus,* nam hic terminus imperfectionem involuit, quocunque modo fingas, itaque magis de abductione quam reductione hic cogitandum. *Communio essentiæ, entis, spiritus,* analogice accepti inter Deum & creaturas est, Communio generis nonnisi aquiuoca.

V. th. 20. *Synonymum* est spiritus ad Deum & creaturas, genus nullo modo: Nec enim statim genus, quicquid latius, amplius generalius, alio, nisi æquivocatione ludas. V. l. c. *& th. 21.* hoc est, solum nomen generis Deo tribuas, significatum nominis planè omittas. Synonymum in Deo est, sed non genus: Paronymum in Deo est, sed non accidens.

24. II. *Propositiones personales in. S. Theol. de Christo ut Homo est Deus, Deus est homo, & sacramentales, ut panis Eucharisticus est Corpus Domini, Vinum benedictum est sanguis Domini quorsum sunt referendæ?* *Alij* nec Synonymas ajunt nec paronymas, quippe quæ in usitatis materijs sint, hic potius de abductione quam reductione cogitandum esse: *Alij* ad Synonymas referunt: *Alij* ad paronymas.

25. Mihi uberius hanc rem consideranti quatuor dicenda videntur. *1. Materia harum prædicationum verè est invsitata, i. e.* res ipsa & termini affirmatè hic juncti omnino sunt inusitati, nullibi in natura simile quid habentes: nam DEum homini ad unam hypostasin esse unitum, & Corpus Chri-pani ad unum subjectum uniri revera mystica sunt, & extra articulos Christianæ nostræ fidei nuspiam reperiuntur, in ratione nullibi inveniuntur, ut benè *Cl. J. Mart. d. 3. Curs. Phil. t. 10.* Et speciali hac unitorum cohæsione spectata hæ prædicationes verè sunt inusitatæ, & *hac ratione magis de abductione quam reductione earum ad synonyma aut paronyma cogitandum. V.* Regium l. 2. Log. q. 2. §. 9. cl. dn. d. Meisn: d. 12. Christol.

26. II. *Generaliter hæ prædicationes ad Synonymas aut paronymas referri possunt.* Ratio est, quia termini Synonymi & paronymi in tota latitudine sumpti sunt *generalissimi,* abstrahentes à creato & increato, & ita u-

tri-

triq; tribui possunt. Hac ratione *Synonymum est quicquid Logicè essentiale est, & paronymum, quicquid extraessentiale est. In* hac generalitate nulla est imperfectio, & per hoc nulla est ratio, cur hi termini generali sensu non aque divinis, mysticis, quam usitatis & naturalibus reb. applicari debeant. Patet consequentia ē duobus. *J. ē materiæ novitate.* Data novâ materiâ, debet Philosophus Christianus terminos suos ab imperfectionibus liberare, & ita materys pro eâ potestate, quam in materys habere possunt, eos applicare. At hic nova materia, liberatio etiam synonymi & paronymi ab imperfectione, Cui in rebus creatis im mersa sunt ea, per generalitatem terminorum. E. & divinis materys hi termini applicari possunt. Sic Deum Logicus vocat subjectum, prædicatum in propositione, majorem aut minorem terminum in syllogismo quia nulla hic imperfectio. *Conf. Cl. J. Mart. l. 2. d. tr. Eloh. c. 51. Dn. Kesler. Log. Photin. p. 21.* Secus est de terminis qui ab imperfectione liberari non possunt. Hi rebus divinis applicari non debent, ut genus, species. Vide th. 23. *2. ē Logices generalitate.* Logica & Metaphysica sunt duæ generalissimæ disciplinæ, non naturalium solùm sed & supernaturalium Usui accommodatæ. *V. Scalig. ex. 1. s. 3. Was. encycl. ax. 3. Dn. Kesler. c. l, p. 17.* E. & earum termini (si non omnes, certè quidam) supernaturalibus accommodari possunt.

27. III. *Non commodè hæ prædicationes dicuntur synonymicæ.* 1. quia prædicatum non est de essentia Constituente subjecti. *Subjectum n. definiri potest* non mentione facta prædicati, sic DEUS non mentione facta hominis, panis non mentione facta Corporis Christi. At hoc in synonymicis prædicationibus impossibile. Nunquam hominem absq; mentione animalis, nun-

quam Deũm absq; mentione spiritus definies. Nil obstat, hominem esse de essentia *hujus DEI, λόγε scilicet. Nam hoc ex hypothesi tantum unionis est*, quod paronymian nõ tollit. Sic *aurum est de essentia hujus poculi, e.g. aurei*, est n. ejus materia. Et tamen non est propositio synonymica, Poculum est aureum, quia aurum non est de essentia poculi generaliter & in idea sumpti. sic nec homo de essentia dei, supponendo ex veritate fidei, DEum ut Communicabile quid tribus subsistentibus sumi. 2. *Synonyma* & nomen & definitionem largiuntur, & *prædicatum prædicati est etiam prædicatum subjecti. per Aristot. §. 6. antepr:* Ergò si Deus est homo, est prædicatio Synonyma, cum homo sit animal rationale, etiam de Deo, dicetur, *DEVS est animal rationale.* At hoc absurdè dicitur. Vid. *Weber. trig. c. Goclen: q. 3. Deus est homo non per essentialem humãitatis communicationem, sed personalem assumptionem.* Non ergo omnia quæ de homine essentialiter prædicantur, & de DEo prædicari possunt: Vt in simili nec omnia *quæ de pane in Cœna* essentialiter prædicantur ut quod sit ex farina, aqua, beneficio ignis pistus, ad consistentiam masticabilem, naturali corporis nutricationi destinatus, & de Corpore Christi prædicari possunt, panis enim non est *Corpus Christi per essentialem participationem, sed sacramentalem in vero usu communicationem. Vide Dn. D. Bhem c. Montan: p. 356. 359.* Non ergò commodè hæ prædicationes ad essentiales reducuntur. *Mitto* jam, an homo Chrus possit dici animal rationale, quo de disputat *Occamus centiloq. Concl. 15.* & ad negantem inclinat; Mitto & alia quæ videri possunt apud *Dn. D. Meisn. p. 1. P. S. S. 1. q. 9. c. 5. & T. 6. Gie. d. 17. t. 91. 104. 107.* 3. In Synonymis est unio terminorum essentialis, i. e. talis ubi unus essentialiter est alteri subor-

dinta-

dinatus. At hoc in his Deus est homo, non est, ut concedunt, qui aliàs diversum sentiunt. *Vid. Buscherum de impr. præd: f.2.p.44.45.* 4. *Disparata nunquam essentialiter de se prædicantur. V. Scheib Top. c.15.n.19.* Ergò nec hæc. Disparata hic sume *latè*, idq; *& propter* unionem *& propter* disparationem. Vide th. 32.

28. IV. *Sano sensu hæ propositiones ad paronymicas generales revocari possunt.* Patet, paronymum est, quicquid extra constitutionem essentiæ subjecti est Logicè, qualiscunque alias res-sit, per *th.17.* Hæc est *paronymi generalitas*, in qua hic sistendum. At hic ita est. Nam u. g. homo est extra essentialem constitutionem dei & contrà: Corpus Christi extra essentiam panis benedicti, & contrà, nulla hic est essentialis terminorum subordinatio, nulla unius de altero essentialis prædicatio, quasi essentialiter superioris de inferiori. Et per hoc vera hic est paronymia generalis, & hæ propositiones vere paronymicæ generales. Vt hactenus mecum *Cl. Scheckius, Dn. J. Mart. Dn: Gaverus, Dn. Scheiblerus, Keslerus, Goclenius, Sharfius aliiq;.*

26. Dixi hic esse *paronyma generalia. i.e. non essentialia à priori & definitione rei. Et hic cessandum.* Nam *speciales* paronymorum rationes si respicias, Eæ *& infinitæ* esse possunt, sic alius paronymias modus, homo est docilis, & est albus, est vestitus, est visus, verberatus, est Petrus, Paulus: & *hic ut requirantur, non necessariæ.* Speciales modi paronymi variare possunt, manente generali, qui est, non esse de essentiæ constitutione subjecti: Qui generalis modus omnino in prædicationibus personalibus est, etiamsi requisita paronymi hujus aut illius, u. g. compositi, prædicamentalis, noti & obvii, naturalis, hic non adsint, quæ in nostro paronymo, ut eminenti, & extrapræ-

extra.

dicamentali nequicquam sunt urgenda. Cogitetur hic illud Logicorum: *Synonyma & paronyma in vi eminenti non sunt ex requisitis prædicamentalium dijudicanda. V. Scharf. l. 1. Log: tr. 1. c. 2.*

30. Unde consequens est, nec requisita prædicamentalium paronymorum hic debere urgeri. Qualia sunt, ut è compluribus pauca libemus, 1. *quod prædicatum hic non sit accidens inhærens vel adhærens.* At hoc in prædicamentali tantum paronymo requiritur. In supraprædicamentali ut accidens strictè dictum non est, sic nec hic urgendum est. Sufficit si hic prædicatum Logicè sit extra essentiam subjecti. Sic enim verè paronymũ est. Quod omninò hic est, qualecunq; aliàs sit. 2. *Quod homo sit de essentia hujus DEI, λόγυ nimirum.* At hoc ex suppositione unionis tantum factæ est, non fiendæ, ut ita loquar. Vide th. 27.

31. 3. *Quod in paronymicis sint termini concreti, connotativi, denominativi, at hic abstracti, absoluti, denominantes.* Ast illud in extraprædicamentali paronymo non est necessarium: Imò nec in *prædicamentali*, ut quoddam animal est homo, quod urget *Cl. J. Mart. l. 2. Log. c. 1.* quædã herba est ruta, quod *Philosophus c. 4. §. 17. categ:* Album est coloratum, homo est rationalis, sunt synonima. (male hoc paronymum dicitur â Keck. l. 2 Log. c. 1. s. 2.) etsi prædicata sint termini concreti, quod urget *Dn. Grauer.* c. Pare. q. 2. §. 25. in hircocervo hircus est cervus, παρωνύμως, etsi cervus sit terminus absolutus, quod *urget Scheibler. Top. c. 8. n. 49. c. 28. n. 109.* Idemq; est in tityro, hircus & ovis, in leopardo leo & pardalis, in camelo-pardali camelus & pardus, de quibus vide sis *Pererium in c. 1. Gen: n. 151.* Si sonum terminorum spectes, videntur synonyma; & huc pertinẽt quæ habet Buscher9 de impr: attr: c. 2 p. 44. 45.

Si sen-

Si sensũ, melius dicentur paronyma, per dicta. Ut e. in his est unio per monstrũ, paronymicã prædicationẽ pariens, sic in Christo unio per mysteriũ, eandẽ generalẽ prædicationẽ admittens. Tota hæc res non ex terminis, sed attributione terminorum Logica & unione spectanda est, & *sic sunt termini Logicè concreti, connotativi, denominativi, nam sunt extra essentiales suis subjectis, Quicquid de Grãmatico sono videatur.* Quãquã & in monstrosis unionib. *absoluto termine* datur enunciari, ut hircus est cervus, si Grãmaticè rẽ spectes, quod non satis caute negatũ â non nemine. *D.M.p.1. P.S.p.189.* Ne quis idẽ fieri *in personâ Christi* miretur. Quãquã etiã *connotative* hic dicitur, Deus est caro, & incarnatus, homo & humanatus. *V. Dn. Grav. c. Pare. p. 91.*

32. 4. *Quod in paronymis non valeat reciprocatio, ut hic, Deus est homo, & contrà.* At falsũ illud in omnib. propriis, ut homo est risibilis & contrà, q̃ tñ paronymicè prædicari ipsi concedunt. Similiter in monstrosis falsũ, hircus est cervꝰ, & cõtrà. 5. *Quod paronyma tribuant nomen, non definitionem.* At de definitione essentiali planissime hic ita est. Absurde dices, Deus est animal rationale. *Vid. th 27.* 6. *Quod paronyma sint usitata, modus illorũ cognitus, subordinata prædicent, non disparata.* At hæc omnia de paronymo prædicamẽtali sunt vera, In cœteris non necessaria. Tũ modus *generalis* potest esse cognitus, ignoto *speciali*. Sic in hircocervo, ꝙ sit unio *per monstrũ*, in Christo, *quod per mysteriũ*. Ita de Sacramẽtali unione ipse *Buscherus de impro. attrib: c. 3. s. 1.* alias nobis hic contrarius. Præterea hæc non prædicantur quatenus disparata formaliter sunt, etsi revera talia sint, Sed quatenꝰ *unita ad unũ subjectũ*. Sic omnia disparata denominativè enunciari possunt, & substantialia & accidẽtalia *V. Dn. Graver: c. 1. abs. t. 10. c. 3. t. 26. Dn. Kesler. Log. Phot. s 3. prin. 2. Cl. J. Mart. C. 6. qq: ill. d. 7. q. 9. Scheibl. Top. c. 15. n. 7. 8. c. 14. n. 35. c. 16, n. 3. Goclen. ad Meta. Timpl. p. 96. 100.*

33. 7. *Quod paronyma fiant in Quale, hæ in Quid.* At rigidè

consi-

considerando non in quid, sed in quale quid prædicatur, queadmodum & prædicamentalia paronyma ita, ut quale quid est homo, risibile, docile, loquens quid, &c. *Si homo prædicaretur de DEO in quid, de omni eo quod esset Deus, prædicaretur. Et sic etiam de Patre & Spiritu S. ut advertit Fonseca in 5. Meta. c.8.q.7.s.6.* Ad cœtera quæ magno numero hic objiciuntur, breviter hæc habe. 1. Diversa sunt, *Deus est homo*, hoc *paronymicũ*, & *Christus est homo*, hoc *synonymicũ*, ubi altera quasi pars de Christo prædicatur, quod de partibus extra unionem aliàs subsistentibus fieri posse docent *Dn. Kesler. Log: Phot: s.3. §.1. Scheib: Top: c.8. §.45. Confer & Dn. Meisn: d.13. christol: t.3. Fonsec: in 5. Meta: c.8. q.7. §.2.* 2. Prædicationes hę sunt paronymicæ, sed nõ statim accidentales; Nã *hoc* tantũ in prædicamentalibus rebus est, *illud* etiã in transcẽdẽtalibus. Quod si accidentale *latè* sumas pro *extraessentiali*, sic & hic accidentale concedo, cũ *Dn. Scheckio, Dn J. Mart. l. 2. inst: Log: c.1. d.24. part: Theol. t.27. Dn. Gravero c.1. abs: t:10. & alibi, Dn: Keslero quad: discurs: mem: 1. §.4. D: Scheiblero, Calixto, Hornejo, Scharfio, Becano p:3. Th: Sch: c.7. q:2. Fõsec: cit: loc: s:8. &c. Rigidè* vero non. Et sic humanitas non est *accidens λόγῳ* nec *prædicamentale*, nec *prædicabile*. Reliqua in discursu.

35. Fuit Sy: & Pa: perfectionale. Sequitur infraprædicamentale, quod in ente rationis, privationib. negationib. nominalibus appellationibus reperitur. *Hic Syn: & Par: per analogiam locũ habet.* De quo ut & affectionib. Syn: & Par: aliàs uberius tractabitur. Videatur interim *Scharfius l. 1. Log: tr: 1. c: 2.*

COROLLARIA.

Logica nec ars nec scientia nec sapientia est.

Prædicabilium numerus quinarius sufficiens est.

Figurarum numerus ternarius sufficiens est.

PARADOXA.

Non Ens est Ens.

Omne mendacium est verum.

Christiani sunt ἄθεοι.

Si Petrus hic adesset, forte peccaret, neq; est propositio simplex, neq; composita.

FINIS.

